

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Initia doctrinae physicae

Melanchthon, Philipp

Francoforti, 1550

VD16 M 3471

Quid est quies?

urn:nbn:de:bsz:31-106565

actio & passio terminis ac relationibus. Sed forma
quæ transfunditur eadem est, cuius acquisitio seu
transfusio re ipsa est motus.

Aristoteles in hac disputatione recitat hoc dictum. Ut eadem uia est à Thebis ad Athenas, & ab Athenis ad Thebas, ita motum unum esse inquit, actionem & passionem. Sed tamen regulam addit, cuius usus latè patet: In his, quæ sunt eadem re ipsa, tamen simul aliqua insunt diuersa, & multi respectus uariantur. Eadem Luna superior est aëre, & inferior Sole. Idem potus bonus est parti torrefactæ in corpore, & malus est toti corpori. Idem neruus est organum sensus, & motus localis.

Hoc igitur dictum sit admonitio, ut cum in una re inueniuntur aliqua diuersa, ut fit sapientissime, prudentia adhibeatur in distinguendo, & causæ diuersitatis dextrè querantur. Ut in una & eadem anima hominis, sunt noticia legis, & iudicium approbans legem Dei, & tamen sunt in ea multi adfectus repugnantes legi.

Quid est Quies?

Quies est priuatio motus in eo, quod moueri potest. Opponuntur enim priuatiue, Quies & motus. Notum est autem ex Dialectica, priuationem non simpliciter negationem significare, sed semper significare in subiecto aliquo absentiam rei, ad quam recipiendam subiectum idoneum est, aut etiam natura inclinatum est, ut cæcitas in oculo est adpetente uisum.

LIBER II.

Postquam autem Physici hæc tenuissima inïtia de motu recitauerunt, incipiunt de alterationibus & causis alterationum, hoc est, de uarietate qualitatum, deinde de mixtionibus dicere, unde sequuntur generationes & corruptiones. Sed priusquam ad eam doctrinam de Mixtionibus acceditur, de his proprietatibus corporum dicendum est, de Finito, de Loco & Tempore.

Quid est Infinitum?

Sic definit Infinitum aristoteles. Infinitum est, cuius quantitatem accipientibus semper restat aliquid accipiendum. Quoddam autem uocatur Infinitum in actu, uidelicet, ubi actu simul sunt infinite partes. Impossibile est autem aliquam esse quantitatem infinitam in Actu.

Ac de Magnitudine traduntur hæ rationes. Nichil terminatum & clausum superficie, seu certam figuram habens, infinitum est in Actu. Omnia autem corpora sunt terminata superficie, seu inclusa figuris, sunt igitur finita.

Item, cælum est finitum, ut motus circularis manifestè ostendit. Omnia igitur corpora intra cælum finita sunt.

Aliud dicitur Infinitum potentia, hoc est, cuius partes, non quidem simul sunt Actu, sed subinde succedentes. Sic tempus cogatur esse infinitum, cum duratio rerum erit sine fine.

Nec numerus dicitur infinitus in Actu, quia si est numerus